

## **Annales Birtani: kroniek van Sint-Andrieskamp/Mariënhof**

De vertaling staat in Ludo Jongen en Gerard Raven, *De Moderne Devotie in Amersfoort: bruiden van Christus, vrome broeders en hun kronieken 1380-1637* (Amsterdam 2025).

Bron: Antonius Matthaeus, *Fundationes et fata ecclesiarum* (Leiden 1704) 517-526. De cursivering en de Latijnse noten zijn van hem.

Matthaeus publiceerde de tekst van pp 517-518 eerder in *Rerum Amorfartiarum scriptores duo inediti* (Leiden 1693) 379-380. Op pp 165, 166, 167, 169 en 229 heeft hij nog vijf andere passages die niet op deze annales teruggaan; zie de noten bij het handschrift Van Ingen (kronieken Sint-Agnieten en Sint-Aagten) fo 11.

<517>

FUNDATIO XI.

*Ædis seu Claustri Canoniorum Regularium, quod in agro Amerfortio, vulgo de BIRCKT.*

ANN. CIC. CCCC. XIX.

Olim intra mœnia id in campo S. Andreae fundatum Ann. 1394. Ob metum autem hostium, ne hinc urbi aliquando molirentur insidias, extra urbem translatum in locum *de Birckt*, oblatum à privato novis ædibus exstruendis Ann. 1419. ubi deinceps vixerunt ad exemplum Regularium, qui erant in Windesem, sub regula S. Augustini. Vetus apud me scheda est ex reliquiis monasterii, qua origo ejus & progressus indicatur hujusmodi.<sup>1</sup>

*Nomina trium fratrum, qui missi sunt à Dno Florentio de Daventria pro prima fundatione & erectione novæ domus Clericorum retro novum hospitale Amersfordiæ, Andreas de Attendoorn, Iohannes de <518> Lemego, Nicolaus de Erpel Ann. 1395. ad instantiam devotorum virorum, bonæ voluntatis, & in conjugio Christianæ religionis decentem vitam viventium, videlicet Rutgeri de Doem, Iohannis Hagis, Gerardi Wilde, Stephani Louwe, & aliorum spiritu timoris Dei & fervoris ex prædicatione* <sup>2</sup> *M. Gerardi Groot, Dni Henrici de Gouda, & Dni Iohannis de Grande concipientium congregationem devotorum presbyterorum & clericorum, & quemadmodum jam Daventriæ erat, erigere cupientium. Postmodum ad tertiam Regulam S. Francisci transierunt, & plures fratres recepti, & transiverunt ad campum S. Andreae cum D. Wilhelmo Henrici primo ministro presbytero. Fuerat is D. Wilhelmus Dni<sup>3</sup> Florentii disciplinis institutus, & erat Confessor sororum cum D. Henrico de Gouda. Quem dominum Wilhelmum per promotionem Dni Wernboldi idem Dns Florentius præfecit Rectorem novæ domus in Amersfordia, quia de Amersfordia ex honestis parentibus natus, ubi & prius Rector fuerat scholarium, homo magnæ literaturæ & jurisperitus, & nihilominus humillimæ conversationis, Vicarius item ecclesiæ Amersfordiensis. Hic piæ memoriæ Dns*

---

<sup>1</sup> Matthaeus 1693 379 heeft deze alinea anders verwoord: *Birtanis*. A loco iis nomen. Birta prope Amisfurtum. Iidem qui fratres Campi S. Andreae olim. Auctor de iis supra ad Ann. 1416. Erant proprie autem non monachi, sed Canonici Regulares. Habeo Annales monasterii, ex quibus pauca haec excerpti, quae originem ejus spectant. *Nomina trium fratrum, qui missi sunt a D. Florentio de Daventria pro prima fundatione & erectione novae domus clericorum retro novum hospitale Amersfordiae*, Andreas de Attendoorn, Iohannes de Lemego, Nicolaus de Erpel.

<sup>2</sup> Auctor hic instituti Canoniorum Regularium in Windesem prope Zwollam. Vulgo Gerardus Magnus. De quo Buschius plura *lib. 1. Chron. Windesem. cap. 1. & seqq.* obiit Ann. 1384. *ibid. cap. 5.*

<sup>3</sup> Florentius hic Radewini Gerardi Magui [Magni] discipulus & Rector collegii Canoniorum Regularium, quod erat Daventriæ. Idem *Chronic. d. lib. cap. 6.* Fundator & promotor monasterii in Windesem *ibid.* Obiit Daventriæ Ann. 1400. ætatis suæ l.

Wilhelmus Henrici, venerabilis & devotus pater, ac generalis minister totius Capituli de tertio ordine laudabiliter & salubriter præfuit xv. annos, ac tandem Deo vocante tactus infirmitate viam universæ carnis ingressus est Ann. M. cccc. xiv. sexto nonas Maji, hoc est, in crastino Philippi & Iacobi. Ad cujus exequias convenit de Amersfordia multitudo populi sexus utriusque, qui omnes ad oblationem sunt admissi; nam venerabatur & amabatur communiter ab omnibus, quia erat homo magnæ literaturæ, maturi consilii, & profundæ sapientiæ, à fratribus quoque paterno diligebatur affectu, quia licet moribus extitit maturus & gravis, fuit tamen natura pius, compatiens, & multum largus.

Anno Prælationis secundo Dni Gosuini Zanten Consules & cives oppidi Amersfordienses instabant apud fratres, ut vellent se ad alium locum transferre propter timorem hostium, quorum insidias in monasterio timebant. Contigit hoc rerum statu Magistrum Henricum Camerman Daventriensem ad eos solito suo more venire, & annuatim oppidum Amersfordiense, unde oriundus erat, invisere, audito desiderio nos transferendi, obtulit paternam suam hereditatem in Birkel, locum videlicet & prædium, in quo monasterium cum Curia B. Mariæ A. 1419. fundari cœptum, & altare S. Andreæ, quod solum habuerunt consecratum in monasterio campi S. Andreæ, translatum est de priori loco ad Birkelense monasterium per industrium artificem in vehiculo sanum & illæsum. Exinde monachi ibi vixerunt sub regula. S. Patris Augustini. <519>

Ann. 1430. Stephani prothomartyris obiit in Embrica Venerabilis Mag. Henricus Camerman subdiaconus Canonicus Daventriensis.

Ann. 1433. in Decembr. obiit apud moniales in Ierusalem Ven. P. Gosuinus primus Prior Birkelensis, hinc autem Rector<sup>4</sup> sororum earundem circa xl. annos extitit, ubi & sepultus quiescit.

Ann. 1439. Matthiæ Apostoli ante summam missam pulsata campana processimus obviam processionaliter usque ad portam cum cantu & crucibus, & solemniori reverentia, qua potuimus, pretiosissimis reliquiis, quas frater Gerardus Moerse secum detulit de Colonia datis sibi ob reverentiam & interventum Dni Zantensis ex sacrario ecclesiæ Coloniensis.

Sextus Prior Birkelensis vir bonus Iacobus Simonis de collegio domus S. Iohannis Evangelistæ prope Amsterdam Ann. 1441. electus. Ante conversionem plus quam oportuit mundo deditus erat. Vicarius fuit ecclesiæ S. Mariæ Trajectensis. Cumque multos tali in statu cerneret per abrupta vitiorum incedere correptus Dei timore mundum deserens monasterium petiit, in quo suscepto habitu religionis plenarie, vere, & perfecte conversioni atque mortificationi studuit & intendit. Suscepto autem cœnobii hujus regimine, quemadmodum alios præcellebat officio dignitatis, ita etiam præcedebat exemplo religionis, omnia justa & sancta factis magis quam verbis ostendere studens.

Ann. 1483. in festo S. Martini episcopo obiit frater noster Rodolphus Gerardi de Wesop, multo tempore Supprior & procurator domus nostræ, qui post ex Supprior domus nostræ electus fuit in Priorem domus S. Hieronymi prope Leyden, ubi cum multo tempore strenue eandem domum gubernasset, & in spiritualibus & temporalibus immodice promiovisset, deficiens mortuus est, ac ibidem in sanctuario chori honorifice tumulatus. Ejus mores & vitam alibi si quæsieris invenies.

Ann. 1484. frater Iacobus Spenge de Trajecto oriundus, Procurator domus S. Agnetis prope Zwoll hic in Priorem electus officium suum post annum resignavit, scilicet quia tempus eum non juvit. Post resignationem electus fuit Wilhelmus Trinde, qui fuit pro tunc Procurator domus Vallis pacis. Iste vero pater aspectu, moribus, & virtutibus<sup>5</sup> multum gratiosus & reverendus gratiam Dei in se habitantem signis evidentibus prodebat intuentibus.

Ann. 1495. nono die Aprilis obiit frater Ægidius Wilhelmi, de Duyvelant Zelandiæ oriundus, Presbyter, Professus, & in sacerdotio & in ordine lubilearius. <520>

An. 1503. xiv. Martii obiit frater Gerardus Ploes de Trajecto oriundus presbyter professus. Iste frater fuit fortis & magnus corpore, & multum laboriosus. Plures enim labores exteriores, cum tamen multum internus esset, in diebus suis exegit, nitens plane laborioso Marthæ recompensare officio, quod in suavi Mariæ non inveniebat contemplatione & requie delitiosa.

<sup>4</sup> Uterque sexus admissus ab hac sectam professis. Chron. Windesem. lib. I. cap. 38.

<sup>5</sup> Emendatie: Matthæus had virtutibus.

*Eodem anno pleurisi tactus frater Matthias Weerdt moritur Supprior. Mortificatus plurimum insensualitate fuit. Sui proinde incurius & negligens, mundus tamen, non quærens vestium nitorem, sed honestatem, munditiam amans, non vestium abjectionem aut squalorem. Iuxta etiam etymologiam sui nominis non superbus & altus, sed parvus Domini fuit. Novit enim in officiis & aliis viriliter præesse, & absolutus humiliter superioribus obedire & subesse.*

*Ann. 1511. frater Hubertus Iacobi Vencoppel de Trajecto oriundus presbyter professus obiit. Postquam multis annis <sup>6</sup> sacrista domus fuisset, apoplexia vel morbo, ut quidam putant, caduco S. Cornelii percussus in cella & infirmaria custoditus fuit. Hic in diebus suis vigil & activus fuit circa officium suum, & præcipue ei cura de ecclesia ornanda. Quapropter multos sæpe labores etiam ultra vires assumpsit, & missas Divi Henrici Imperatoris pluries legens, proventum exinde circa imagines & ecclesiæ cultum convertit, & eandem politem reliquit.*

*Ann. 1513.<sup>7</sup> in profesto S. Marci obiit frater Romboldus de Trajecto oriundus, presbyter professus tam in sacerdotio quam in ordine <sup>8</sup> Iubilearius. Post prandium hora 3. transivit ad Dominum, quem senex toto corde amavit, studiose quæsivit, scrupulose servivit, innocenter adhæsit, amanter dilexit, viscerose timuit, & unice [unice?] ac perseveranter coluit, etiam gaudens invenit.*

*Ann. 1519. VIII. Idus Maji revolutus est centesimus annus, quo primum fundamentum monasterii Curie B. Mariæ in Birkel positum fuit. Cujus quidem revolutionis anniversaria dies anni centesimi à fundatione domus celebrata est in domo nostra valde solenniter cum processione, sicut in die Pasche, officium celebrante Priore domus nostræ, celebrata missa de S. Spiritu pro gratiarum actione tantæ dignationis & gratiæ, taliumque munerum, quod in sancta disciplina domus nostra tot annorum curriculis devota religiosaque perstitisset, petendo proinde à Dominicæ clementiæ largitate, cujus pietate conditi sumus & providentia gubernamur, ut majori incremento virtutum & gratiarum pacis & solatii diurnæ pariter & æternæ conservetur & augeatur.*

[...] <523>

*Ann. 1529. XI. Maji in profesto Pancratii Vicetenens dominus Dermont venit Amersfordiam cum Venerabili Priore & septem fratribus Vallis pacis à Trajecto, & induxit solenniter cum processione eosdem in conventum S. Iohannis in Amersfordia, ut habitarent ibidem, fratribus domus pene omnibus ex partibus hinc inde se abripiantibus, paucis cum Regularibus remanentibus.<sup>9</sup>*

[...] <525>

Et hæc quidem hactenus. Quando vixerit, qui notavit hæc, ex iis patet, quæ ad annum habet 1525. Nec habeo quod addam, nisi operæ forsitan pretium, ut & illud notetur. Notum quod quamvis clerus non prematur tributis, extra ordinem tamen possit cogi, si necessitas id exposcat, ut pari jure cum ceteris in se onus recipiat. Quid si grande æs alienum? quid si clero non inviro contractum id satis constet? an non æquum ut & clerus pro parte id dissolvat? Certe ejusmodi, quo diœcesis translata in Cæsarem laborabat. Conflatum erat civili bello inter res<sup>10</sup> Status, quibus Gelrus auxilio, & episcopum, cui Cæsar, tantum & tam ingens, ut dissolvi non posset, nisi pro viribus conferret quisque, etiam clerus. Nemo tum

<sup>6</sup> Thesauri, ornamentorum, sacrarum vestium, vasorumque & id genus similium, quæ ecclesiæ sunt, custos.

<sup>7</sup> Emendatie: 1563 is verbeterd.

<sup>8</sup> Qui annos 50. vel sacerdos vel monachus, *Iubilarius* vulgo dictus. Chronic. Windesem. lib. 2. cap. 46. *Post annum quinquagesimum in ordine jam peractum jubileum suum celebravit.* Et hic ordinis oneribus exemptus, ut jam dixi ad *Annal. Egmondan. cap. 63.*

<sup>9</sup> Mattheus 1693 179-180 heeft een andere tekst met een foutief jaartal: Ann. 1629 11 Maji D. Dermontius Praefectus Trajectensis fugat ex Conventu Divi Iohannis fratres bonae voluntatis suspectos ob haeresim & introducit Regulares Vredalenses.

<sup>10</sup> Emendatie: Matthaeus had rres.

auditus contendens se immunem. Contra quidem nixum cœnobium hoc, de quo dictum, ut & alia nonnulla. Verum frustra & nequicquam, ut patet ex Actis Ordinum Ann. 1541. VII. Decembr. *Item op ten selven dach compareerden voor de voorsz Gedeputeerden die Procuratoer van den Byrckt, ende exhibeerden seeckere privilegie van Bisscop Frederick van Blanckenheym, als hy seyde, ende andere stucken ende munimenten, uyt kracht van dewelcke het voorsz Convent altyt van allen contributien, ende bysonder van den stuvergelt vry ende exempt waer geweest, ende noyt metten kloosteren binnen Utrecht, maer <526> mitten cloosteren binnen Amersfoort . . . . . ende gecontribueert hadt, Begeerende dat die Staten 't voorsz Convent in haer oude privilegien ende possessie laten ende houden gelieven wilden. Gehoort welck versoeck, ende gesien ende gelesen die voorsz brieven, stucken, ende munimenten voernoemt, ende oock gevisiteert die declaratie van de Majesteyt van de Coninginne hier op gedaen, So is by den voorsz Gedeputeerden overcomen, dat sy contrarie die declaratie van de Coninginne hier inne gedaen niet en connen ofte mogen ordonneren, ofte statueren, dan doende so veel in hem luyden is, syn te vreden, dat het voorsz Convent alle jaer dubbelde pensie betale, ter tyt toe dat alle die restanten opgehouden ende betaelt sullen syn. Ende indien 't voorsz Convent sich enichsins hier inne beswaert vint, mach 't selve die Majesteyt van de Coninginne, ofte den grooten Raedt der Keyserl. Maj. tot Mechelen in justitie te kennen geven, gelyck andere oock vrydom ende exemptie pretenderende doen syn.*